



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De  
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1531**

**VD16 H 224**

Haeresis Apollinaris de Martino, Hieronymo, & extinctione haereticae  
prauitatis. Cap. VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29805**

## HAYMO DE CHRISTIA.

penitus idolis, pulsis hereticis, congregatis catholicis,  
in fide & religione & munificentia perseverat. Hic  
piam constituit legem, ut sententiae principum super ani-  
maduersione prolatae, in diem tricesimum ab execu-  
toribus differreretur, quo locus misericordie vel (si res  
tulisset) penitentiae non periret,

### Caput VIII.

**S**Vb codem tempore apud Laodiceam Apollina-  
ris episcopus, vir sane in ceteris instructus, here-  
sim generat, ex contentione afferens solum corpus,  
non etiam animam a domino in dispensatione suscep-  
ptum, & pro supplemento illius rationabilis partis,  
ipsum dei verbum fuisse prohibebat. Hinc descendunt  
Apollinaristae & heretici, proprias habentes sectas  
& dogmata. Tunc concilium Romae congregatur a Da-  
maso, & Petro Alexandrino, & damnatur Apollina-  
ristae, data hac decretali sententia, ut si quis filium dei  
humanitatis vel deitatis diceret minus aliquid habu-  
isse, ab ecclesia fieret alienus. Sed & Constantino-  
poli sub trecentis quinquaginta patribus, synodus ce-  
lebratur, in qua omnes heretici condemnantur.

Tunc Martinus Turonicorum Galliae ciuitatis episco-  
pus, multis miraculorum signis effulget. Tunc Hiero-  
nymus presbyter in Bethleem, imo toto orbe clau-  
rus habetur, de quo non sine magna admiratione su-  
spicio, quare in hac historica narratione a Rufino p-  
ermisus est insigniri, maxime cum ceteros illustres  
viros & contemporaneos suos nobilitauerit eloquio,  
qui vel impares ei fuerunt scientia, vel si pares aut  
superiores, certe omnimodo minus utiles ecclesiae.

RERVM MEMO. LIB. X.

Fortassis egit hoc Rufinus industria, ue videretur iniuriā illi libello facere, quem idem beatus Hieronymus scribit de viris illustribus, ybi & de seipso facit in ultimis mētionēm. Dicitur etiā, q̄ inimicitias inter se aliquando habuerunt, & (si fas est dici de tam sanctis & prudētibus viris) obliquis se respexisse vultibus, & sermonibus natauēre. Vnde forsitan à beato Hieronymo nunc sermonem historicū obliquauit, siue autem propter hoc, siue propter illud omiserit, nescio, deus scit: vnum scio, quia prætermittendus non erat. Vnde nunc idoneum duxi vicem supplere Rufini, & tantum hunc virum inserere narratiōi, vt quasi quodā cornū aureo mutilata historia, huius insertione reformatur. Itaq; ea quae sparsim de eo dictata reperi, suffragantibus eius meritis in vnum colligere breuiter dispono. Sed iam ad historiā reuertamur. Inter ea Theodosius pius imperator cōmunem se prēbens sacerdotib⁹ dei, extinctis iam hæreticis, in pace & q̄te magna regit ecclesiās. Tunc idola penitus destruuntur, templa gentiliū subuertuntur. Tunc apud Alexā driam ingens templum Serapis deiicitur, in quo tam vastum erat ipsius Serapis simulacrum, vt dextera vnu parietem, alterum lœua perstringeret. Quod monstrum ex omni genere metallorum signorumq; cōpositum ferebatur. Hoc idolum dicebant statutis diebus salutari à Sole, quoniam arte erat compositum, vt per fenestram exiguum radius solis directus, os & labia ei⁹ populo inspectāte illustraret. Sed & in eodē templo signum solis ex subriliissimo ferro fabricatū, magnete lapide desuper laquearibus in fixo, ipsumq;

## HAYMO DE CHRISTIA.

traherentibus mouebatur deorsum, & tanquam ad sa-  
lutandum Serapim altius eleuabatur. Sed cum ad  
subuertendum hoc simulacrum nostri insurgerent,  
paululum territi retardantur, gentilibus pro certo as-  
serentibus, quod si humana manus illud tetigisset, ter-  
ra dehiscens illico solueretur in chaos, cælumq[ue] rueret  
in præceps, tum ecce v[n]us ex militibus fide concate-  
scens, correptam bipennem maxillæ veteratoris illidit  
nec cælum tamen ruit, nec terra distenditur. Exinde a-  
lijs adiuuantibus ad cædendum, senex veternosus dis-  
trahitur, & in conspectu clericorum Alexandriae ex-  
uritur. Hic Serapis finis fuit, quem alij Iouem putant,  
alij virtutem Nili fluminis, alij regem Aegypti Apim,  
alij in honorem nostri Ioseph formatum afferunt esse  
simulacrum, ob diuisionem frumenti, qua subuenit  
Aegypto. Sed & in templo Saturni cum simulacrum  
deiçitur, tyranni eiusdem fani sacerdotis fraus com-  
perta est, qui tanquam ex responso numinis, suæ libi-  
dini placentes fœminas dicens dignas esse Saturno  
deo, & eius vocatiōe, faciensque in templo pernocta-  
re, clausis ianuis, & traditis clauibus, cum videretur dis-  
cedere, per subterraneos aditus simulacrum ingredi-  
ebatur à tergo exesum, & parieti diligenter annexum,  
& mox supplicantem & intentam mulierem, quasi  
voce Saturni aduocabat, sed & aliæ multæ Paganorū  
fraudes tunc deteguntur. Itaque deiecto apud Alex-  
andriam ipso capite idolo latræ, reliqua idola concul-  
cantur, & veri dei construuntur ecclesiæ. Interea Valé-  
tinianus in occiduis partibus, Itaque o vitam finiuit,  
dolo (vt dicitur) ducis sui Arbogasti, post quem Euge-

RERVM MEMO. LIB. X.

nius tyrannus Italiam occupat. Theodosius inflama-  
tur ad ultionem, & consulto Iohanne Anachoreta mo-  
nacho, qui propheticō spiritu pollebat, Eugenium ex-  
uperat tyrannum, tam armis confisus, quam ieunij  
& orationibus. Tunc de inimicis ad Orientem reuerti-  
tur, ibique Arcadium filium Augustum creat, Hono-  
rium quoque factum imperatorem Occiduis parti-  
bus delegat. Ipse vero iam subiugatis hostibus, iam e-  
liminatis idolis, iam sedata ecclesia, post decem & se-  
ptē annos Romani imperij migrat ad dominum, cū  
piissimis principibus percepturus prēmia meritorum.  
Hic Rufinus ecclesiasticæ historiæ finem facit, & nos  
quoque finitis persecutionibus, hæresibus consopitis,  
fundata & extructa ecclesia, quia post enumera-  
tionem tantorum martyrum, confessorum,  
doctorum siue patrum, nihil dignius  
restat vel illustrius, hic cum eo sus-  
cepi operis compendium  
terminemus.